ANNUAM

LUSTRATIONEM

GYMNASII ZITTAVIENSIS

INDE AB A. D. XXIX. MARTII CIƆIƆCCCXXX

INSTITUENDAM

ET

PUBLICAE VALEDICTIONIS SOLENNIA

A. D. VI. APRILIS

CONCELEBRANDA

INDICIT

FRIDERICUS LINDEMANNUS,
DIR. GYMN.

INEST LECTIONUM CICERON. SPEC. I.

ZITTAVIAE,
EXCUDEBAT I. G. SEYFERTUS.

1831.

Lectiones Ciceronianae.

Specimen I.

1. De Thectamene quodam, Lacedaemonio, nobili mortis contemptore, haec nobis reliquit Plutarchus Apophtegmm. Lacon. pag. 133. Tauchn. *Θεκταμένης, καταγνόντων αὐτοῦ θάνατον τῶν ἐφόρων, ἀπῄει μειδιῶν· καί τινος τῶν παρόντων ἐρωτήσαντος, εἰ καὶ καταφρονεῖ τῶν τῆς Σπάρτης νομίμων, Οὐχί, εἶπεν, ἀλλὰ γέγηθα, ὅτι δεῖ με τὴν ζημίαν ἐκτίσαι ταύτην, παρ' οὐδενὸς οὔτε διαιτήσαντα, οὔτε δανεισάμενον.* Quod a Cicerone sic narratur in Tusculann. dispp. I. 42. *Sed quid ego Socratem aut Theramenem, praestantes viros virtutis et sapientiae gloria, commemoro? quum Lacedaemonius quidam, cuius ne nomen quidem proditum est, mortem tantopere contempserit, ut quum ad eam duceretur, damnatus ab ephoris, et esset vultu hilari atque laeto, dixissetque ei quidam inimicus: Contemnisne leges Lycurgi? responderit: Ego vero illi maximam gratiam habeo, qui me ea poena multaverit, quam sine mutuatione et versura possem dissolvere.*

De significatione v. *versurae* non satis convenit inter viros doctos. Apparet v. δανείζεσθαι a Cicerone, qui haud dubie Graeci alicuius scriptoris, Plutarcho prioris, locum ante oculos habuit, redditum esse Latino v. *versura*, ut intelligatur, versuram nihil esse aliud, nisi δανεισμὸν h. e. *mutuationem cum usura.* Nam διαιτῆσαι est aliquem rogare, sc. *pecuniam*, sine conditione usurae, id quod Cicero simpliciter *mutuationem* vocavit, in qua voce nulla inest *usurae* significatio, quam a Cicerone tribui v. *versurae* apertum est. De eo vocabulo veteres Grammatici ita exponunt. Paullus ex Festo: *Versuram facere, mutuam pecuniam sumere, ex eo dictum est, quod initio, qui mutuabantur ab aliis, non ut domum ferrent, sed ut aliis solverent, velut verterent creditorem.* Donatus ad Terent. Phorm. V, 2, 15. *Vorsura solvis*] *Creditorem mutas. Vorsura solvis*] *Vorsuram facere dicitur, qui aes alienum ex aere alieno solvit. Dicitur etiam vorsuram facere, cum minore foenore acceptam quis pecuniam maiore occupat.*

Non dissentiunt secum Grammatici, nisi quod Donatus aliam etiam amplius notionem adiungit, quam quae a Festo ponitur. Is vero, quia antiquiorem illam notionem fuisse voce *initio* adiecta significat, aliam recentiorem et usitatiorem in mente habere videtur; contra quam Donatus apud Terentium, tanquam illo tempore usitatam, antiquiorem simpliciter proponit.

Iureconsulti veteres pauca habent, quae eiusmodi sunt, ut nihil ad rem pernoscendam faciant. Propius rem ad liquidum adduxerunt inter recentiores Salmasius ad Tertullianum de pallio et de usur. c. 1. Gronovius de pecunia vet. pag. 353. quorum sententia haec est. Versura nihil aliud est, nisi *mutuum foenebre.* Distinguendum autem inter *versuram facere* et *versura solvere.* Prius illud significat argentum acci-

pere foenore, mutuum sub usuris sumere; hoc vero est mutuo alicunde accepto solvere prius debitum. Haec illi.

Atque ita quidem vix erit dubium, *versuram* esse *mutuum sub usura;* unde versuram facere dicebantur, qui mutuam sumebant pecuniam; *versura* autem *solvere,* qui facta versura h. e. mutua sumpta ab aliis pecunia, creditori satisfacerent priori. Quare illud Terentianum in Phormione l. c. *versura solvis* nihil aliud esse apparet, nisi *creditorem mutas,* ut recte interpretatus est Donatus. Quod eleganter in suum usum convertit Lactantius Instt. II. 8, 24. *Quum ortum rerum tribuis naturae ac detrahis Deo, in eodem luto haesitans versura solvis.*

Sed quaeritur, qui factum sit, ut *versura* hanc significationem acceperit. Mihi sic videtur. *Vertere pecuniam* et *versare* dicebantur nummularii sive trapezitae, h. e. *tractare pecuniam, nummos,* tractandoque victum quaerere. Quare *versura* proprie notabat negotium illud, quo tractando vitam tolerare solebant nummularii, Geldwechsel. Quum vero horum hominum negotium sit tale, ut pecuniam mutuo acceptam pluris elocent, et minore foenore acceptam maiore occupent, quemadmodum Donatus ait; factum est, ut versura hoc maxime genus negotiorum antiquitus designaret. A qua notione haud admodum dissita est communis illa, qua *versura* speciatim significat *mutuationum cum usura.* Fieri enim quotidie videmus in mortalium sermonibus omnibus, ut vocabula quaedam certam aliquam et circumscriptam habentia significatum, tempore procedente generaliorem et ampliorem accipiant et contra. Quare etam factum est, ut versura, omissa illa nativa *vertendi* notione, propinquam mutuationis cum usura notionem indueret. Sic apud Ciceronem in orat. pro Caelio c. 7. *Ta-*

bulas, qui in patris potestate est, nullas conficit. Versuram numquam omnino fecit ullam. Tacit. Annal. VI, 16. *Postremo vetita versura, multisque plebiscitis obviam itum fraudibus, quae toties repressae miras per artes rursum oriebantur.* Adde Cic. pro Font. 1. Verr. II, 76. pro Flacc. 20. Non igitur mirum censebitur, saepe accidisse librariis, ut *usurae* et *versurae* vocabula in libris describendis confunderent, veluti hoc Ciceronis Tusc. loco, quem tractavimus, ubi plures Codices exhibent: *sine usura possem dissolvere,* quod falsum esse, iam nemini erit obscurum.

2. De positu pronominum personalium in structura Latinae orationis, maxime apud Ciceronem, plures fuere nostro tempore viri docti, qui exponerent. Ea quantum per ipsius enunciati naturam fieri potest, primo, hoc est ab initio enunciati proximo loco ponenda esse, animadvertisse mihi videor. Praeceperat iam Goerenzius ad Cic. de Fin. I, 16. pag. 72. pronomina verbo regenti praecedere. Id vero non satis esse, rem vel obiter intuenti patet. Qui enim fit, ut saepe tales inveniamus structuras, veluti Tuscul. dispp. I, 36. *Etiamsi sentias, te non habere?* ubi aperte accusativus pronominis postponendus. Multas tamen ea res admittit cautiones atque exceptiones: Et primum quidem relativa pronomina, coniunctiones, verbo omnes voculae, quae relationem ad superiora indicant, praeponendae. Veluti Cic. de Fin. IV. extr. *Quos quidem t i b i studiose et diligenter tractandos magnopere censeo.* Idem ibid. IV, 36. *Quo te modo, inquit, accepissem, nisi iratus essem!* Contra ibid. V, 6. *Facile patior, te isto modo agere.* Tum si pondus universae sententiae in aliquo vocabulo tam insignite inest, ut ni illud praeponatur, non recte intelligatur enunciatum, sponte apparet, pronomen personale

non posse ante illud poni. Veluti Cic. Tuscul. II, 14. *Ecquid scis igitur, si quid de Corinthiis tuis amiseris, posse habere* t e *reliquam supellectilem salvam; virtutem autem si unam amiseris, etsi amitti non potest virtus, sed si unam confessus fueris* t e *non habere, nullam* t e *esse habiturum?* Hoc loco quis est, qui ferendum putet: *t e nullam esse habiturum.* Cum hoc coniunctissima est ratio illa, si pronomen personale tam levis est ad sententiam momenti, ut pro enclicito haberi debeat. Cuius rei exemplum loco proxime citato vidimus: *posse habere* t e *reliquam supellectilem salvam.* Idque semper usu venire debet, quum *te, tibi, se, sibi, me, mihi*, circumscriptioni unius vocabuli vel unius notionis inserviunt. Velut, ubi *tibi, te* aliquam, quam demum cunque personam indicant et universalem enunciant sententiam. Cic. Tusc. I, 36. *Quum aliquid non habeas et non habere* t e *sentias.* Ibid. paullo post: *Sed in vivo intelligi tamen potest, regno* t e *carere.* Ubi ferri nequit: *t e regno carere.* Sic *videor mihi* ab initio enunciati vel in medio plerumque dicendum, quia pro una notione est, quae est *puto*, δοκεῖ μοι. Verum in fine enunciati nunquam aliter, nisi *mihi videor, mihi videtur* dici potest, quoniam apud Romanos quae verba in fine enunciati collocantur, aliquam vim sententiae addunt. Sed in talibus accedit alia cautio, quae iubet enclitica *mihi, tibi, sibi* ita collocare, ut, quantum fieri possit, maxime obscurentur. Sic ubique *ut mihi videtur, ut mihi videor, ut mihi videbare*, invenimus, ad quae etiam talia annumeranda sunt: *Atque etiam hoc mihi videor videre* Cic. de Inv. II, 57. Qua de caussa, quod olim scriptum est apud Plautum Trin. III, 2, 49.

Si istuc conare, ut facis mi indicium, tuum incendes genus;

iam ob male collocatum pronomen *mi* falsum esse osten-

ditur. Debebat enim esse *ut mi facis indicium,* ex constanti Romanorum usu, quo haud aliter dicunt, nisi *ut mihi indicas,* et similia.

Illius autem regulae, quam supra ab initio proposuimus, ignoratio incredibile est, quantum turbarum in emendandis scriptoribus dederit. Veluti apud Plautum vix est una pagina, ubi non plura in hanc rem peccata inveniantur. Neque se aliter apud Ciceronem res habet, quum nuperrime demum viri Latini sermonis periti in haec penitius scrutanda devenerint. Sic recte nuper in Cic. de Senect. VIII, 3. Fr. Vil. Otto restituit: *Nec minus me intelligo vobis, quam mihi vos esse iucundos;* ubi antea edebatur: *Nec minus intelligo me vobis, quam vos mihi esse iucundos.*

Poetae tamen in his peculiarem sibi vindicant licentiam, apud quos legitima saepe structura immutata invenitur, quoniam euphoniae et numeri leges aliam interdum collocationem requirunt. In quibus quid sit elegans, quid minus, longioris est indagationis. Cavendum tamen etiam apud poetas erit magnopere, ne ambiguitas nascatur aut obscuritas. De qua re alio tempore exponamus.

3. Multa latent adhuc in scriptis Ciceronis, maxime philosophicis, poetarum fragmenta, quorum magnam olim copiam restituit Bentleius. Caute tamen in ea re versandum esse, nemo non videt, praesertim quum veteris prosodiae ratio multa in versum cogi sinat, quae aliter vix rhythmici generis esse viderentur. Non me puto errare, si Cic. Tuscul. dispp. IV, 31. in his versiculum reperio. *Sed loquimur nunc more communi. Sint sane ista bona quae putantur:*

Honóres, dívitiaé, volŭptátes, caétera;

tamen in eis ipsis potiundis exsultans gestiensque laetitia

turpis est. In simili enumeratione locum Terentii excitat IV, 35. *Nam ut illa praeteream, quae sunt furoris; haec ipsa per sese quam habent levitatem, quae videntur esse mediocria?*

Iniuriae

Suspiciones, inimicitiae, induciae cet.

4. Artium earum, quae recentiori tempore inventae non ad vitae tantum communis usum, verum ad civitates etiam administrandas et ad bella gerenda permultum valent, nulla apud Germanos minus est usitata minusque ad vitae negotia traducta esse ostenditur, quam ea, quae scribere e remotissimis locis per aerem homines docuit, ars telegraphica inde appellata. Quae quantam utilitatem et belli et pacis tempore, in mercatu et negotiis, in victoriis et cladibus nunciandis, in omni re privata ac publica, afferat civitatibus, maxime eorum rectoribus, haud difficile est iudicatu, quum in nunciorum quam celerrima propagatione magnum rerum gerundarum inesse momentum, vel homini umbratico remotoque a rebus civilibus apparere debeat. Nunciare autem e longinquo ac signis compositis quaedam celeriter a remoto loco alio ad alium transmittere, et facile est et usu hominum iam diu receptum fuit. Veluti Agamemno, ut est apud Aeschylum Agam. 20 seqq., lignorum struibus accensis Troiam esse captam Clytaemnestrae significavit, quemadmodum inter eos convenerat. Unde etiam verisimile est, ortam esse veterum superstitionem, faces nocturno tempore in coelo visas incendia portendere. Cf. Cicero orat. in Catilin. III, 8. Credibile enim est, saepe multa sibi inter se nunciasse facibus homines omni tempore, maxime bellis civilibus. Eius rei qui non erant conscii, quum viderent, portentum se videre credebant. Verum singula verba per aerem signis scribere et subita quaevis, de quibus antea compositum esse nequit, quam ce-

lerrime ad remotissimas usque regiones nunciare, licet nostris demum temporibus commode inventum et frequenti usu receptum, tamen ne Veteribus quidem plane incognitum fuit. Ea ars apud Veteres hoc etiam habebat commodi, ut noctu atque interdiu pari modo factitari potuerit, id quod nobis ad hoc usque tempus fuit ignoratum. Inventum tamen est anno aerae christianae CIƆIƆCCCXXVI., abhinc quadriennio, noctu quoque per aerem scribere, idque in Gallia, omnium artium, quae ad vitam commodius transigendam spectant, matre ac nutrice usitari coeptum; de quo invento nunciaverunt anno superiori *diaria matutina,* quae Stutgardiae apud Cottam prodeunt. Res narratur anni 1829., plagula 254. pagina 1015.; debeturque id inventi nauarcho Gallico, cuius nomen non erat appositum. Est autem huiusmodi. Aedicula lignis exstruitur, in edito loco posita, circumquaque munita atque clausa, utrinque tribus foraminibus orbiculatim perforatis apta, in quibus disci insunt tortiles, qui, ceterum nigro pigmento obliti, diametralem habent laminam, interdiu albo colore splendentem, noctu pellucidam. In media aedicula sedet operarius sive artifex, qui uno eodemque nisu utrosque discos, et qui sunt dextrorsum, et qui sunt sinistrorsum, simul torquens regit, ita ut in diversas et oppositas regiones eadem simul signa propagari possint. His tribus discis varie conversis multa signa eduntur, quorum unum quodque certam habet significationem. Sic undetricies mille ducenta quinque et quadraginta varia signa fieri possunt, qui signorum numerus abunde sufficit ad omne genus nuncios transmittendos. Propter discos illos utrinque in aedicula dioptra est transfixa, qua perspectans operarius, quid eminus nuncietur, utrum, quos ipse mittit nuncios, intelligantur, cernere potest. Hunc apparatum simpliciorem etiam fecit iam nunc in-

ventor, unumque discum cum una lamina reliquit, qua varie conversa octies mille sexcenta duodequinquaginta signa varia profert, qui numerus etsi multum imminutus, tamen etiam sic ad subita quaevis nuncianda sufficere posse videtur.

Ab hac autem recens inventa ratione multum distat ea, quae apud Polybium in reliquiis libri X. cap. 48. tradita legitur. Ea fiebat ignibus vel facibus sublatis, quapropter ἡ διὰ πυρσῶν σημείωσις appellata est, itemque πυρσεία. Quae eo maxime ab illa recentissima differebat, quod revera litteratim perscribebant nuncios, qua re factum, ut nihil non possent nunciare. Duas tamen refert Polybius facibus sublatis nunciandi rationes, quarum alteram, ab Aenea Tactico in libro περὶ ςρατηγικῶν expositam, valde imperfectam atque utilitatis exiguae fuisse ipse confitetur. Est autem talis. Vasa fictilia parantur et latitudine et altitudine quam exactissime aequalia (κατά τε τὸ πλάτος καὶ κατὰ τὸ βάθος ἰσομεγέθη πρὸς ἀκρίβειαν); satis autem erit, si altitudo ternum cubitorum (τριῶν πηχῶν), altitudo unius cubiti fuerit. Talia vasa distribuuntur in omnes speculas, e quibus signa danda censentur. Parandae deinde tabulae rotundae e subere (φέλλοι), latitudinis non multo minoris, quam ora vasorum. In iis mediis infigendi baculi, in omnibus vasis aequales, in quibus notata sunt intervalla paria ternum digitorum (ἴσα μέρη τριδάκτυλα). Ea intervalla circumscriptione notanda sunt, ita facienda, ut facile dignosci possit et legi. Hae circumscriptiones continere debent notissima et maxime universalia eorum, quae in bellis accidere solent, veluti: *Equites hostiles incursionem fecerunt;* altera: *Naves hostium appulerunt;* tertia: *commeatu annonae opus est;* atque ita deinceps eius generis alia, donec omnia ista baculi intervalla scriptione sunt circumlita. Iam in vasis circa fundum foramina cum fistulis sunt aptanda, quae fistulae

plane atque exacte pares esse debent in vasis illis omnibus, quibus opus erit, ut omnia parem aquae mensuram effundant. Quibus ita paratis quum venit usus, vasa in speculis posita aqua sunt replenda, tabellae suberis, baculis aptae, in aquae superficie imponendae, exspectandumque speculatori, donec aliquid nunciandum intervenerit. Is ubi rem peragere incipit, primum facem attollat ac tantisper sublatam teneat, dum ex adverso facem sustulerit, qui in sequenti specula excubat. Ubi ambae faces apparuerunt, ambae deprimendae sunt et occultandae, ac tum statim fistula in vase utrobique laxanda, ut aqua effluat. Iam aqua decrescente descendet suber cum baculo. Simulatque vero in baculo scriptura rei, quam nunciare velis, ad supremam oram vasis accesserit; fax accensa attollitur, qua visa repente ei, qui exadverso in altera specula excubat, canaliculus aquae est sistendus, inspiciendumque, quidnam ex his, quae baculo sunt inscripta, labro vasis respondeat. Intelligitur, rem eandem utrobique denotatam reperiri, si utrobique pari celeritate omnia fuerint peracta.

Quae ratio quam incerta, quam imperfecta sit, facile est ad intelligendum. Longe meliorem, et quae revera litteras scriptas propagaret et verbis litteratim compositis nunciaret, Cleoxenus et Democlitus[1]) invenerant, quamque ipse Polybius se correxisse ait. Ea fuit huiusmodi. In specula erigitur munimentum murale, sive lorica muro facta, decem pedes lata, ad humanae staturae modum alta, eaque duplex esse debet, et

---

1.) Legitur etiam *Κλεοξένου ἢ Δημοκλείτου*, tanquam alii Cleoxenum, alii Democlitum auctorem atque inventorem statuissent. Falsum hoc esse, ex eo intelligitur, quod sibi etiam aliquod in consummanda illa arte meritum vindicat Polybius; ut a pluribus inventam et consummatam velle scriptorem, nemo negare possit.

ad sinistram et ad dexteram. Post has munitiones excubat operarius dioptram habens, duabus fistulis instructam, quarum altera dextram altera sinistram partem speculae ex adverso positae, in quam nuncios transmittere vult, perspectare possit. Iuxta dioptram tabellae debent affigi rectae, in quibus litterae perscriptae. Id huiusmodi est. Litterarum omnem numerum, alphabetum vocant, in quinque partes distribui oportet, ut singulae partes quina elementa recipiant. Iam quinque tabellae parandae atque in singulis illis quinae litterae scribendae; quae quinque tabellae, ut supra diximus, iuxta dioptram affigendae sunt ut facile possint uno obtuto oculis lustrari. Post supradictas autem munitiones, quarum altera ad sinistram, ut diximus, altera ad dextram est, decem faces abscondendae ut utraque quinas habeat. Quibus ita paratis is, qui daturus erit signum et nuncios incepturus, unam vel duas[2]) faces ardentes sustollat, exspectetque, donec alter, qui exadverso signa reddit, suas item faces sustulerit, unde coniici possit, animum advertere utrumque. Iam postquam intellectum est, alterum speculatorem animum advertere, priores duae faces demittendae et opus ita peragendum. A laeva parte primum attollendae sunt faces ad significandum, quota tabellarum illarum litteris perscriptarum inspicienda sit. Primam si velit inspici, unam facem a laeva tollet; si alteram, duas; si tertiam tres, et sic porro. A dextera deinde parte pari ratione tot faces tollat in altum, quotam in tabella ante significata velit litteram intelligi. Quo pacto quae littera erit significata, ea statim pugillaribus inscribenda ab eo, qui signa accipit eaque latius est propagaturus.

2.) Legitur *τοὺς μὲν πρώτοὺς αἴρει πυρσοὺς ἅμα καὶ δύο*, quod sensu cassum est. Legendum haud dubie est *τ. μ. πρ. αἴρει πυρσοὺς ἕνα καὶ δύο.*

Ea ratione quum litterae verborum, quae nuncium aliquem conficiunt, erunt perscriptae, qui accipit signa, in pugillaribus nuncium scriptum habebit. Veluti si quis nunciare vult: *Ex copiis auxiliaribus circiter centum homines ad hostes transitionem fecerunt.* In his spectandum primum, ut quam brevissime fieri possit, eadem exprimantur. Veluti: *Cretes centum a nobis defecerunt.* Horum primum elementum erit C. Ea est in prima tabella littera tertia. Igitur fax a laeva tollenda *una,* quo signo exadversum repetito, statim a dextra *tres* attollendae faces, quo facto alter speculator in pugillaribus suis scriptam habebit *C.* Deinde statim a laeva *tres* faces tollendae et paullo post a dextra item *tres;* quo facto ille alter in pugillaribus scriptam habebit *R.* Et sic porro. Ad hunc usum si longior et pluribus verbis nuncius erit perscribendus, pluries denae faces parandae erunt, ut si priores decem conflagraverint, aliae decem ad manus sumi atque usitari possint. Cuius rationis qui usum atque exercitationem sibi paraverint, ut satis celeriter omnia ad rem pertinentia administrari queant; haud difficile erit, unius vel duarum horularum spacio integras scribere epistolas. Ex quo intelligitur, si continua specularum series per terrarum tractum longissimum institui ac cerni potuerit, intra duarum horarum spacium integras epistolas ad centum milliaria et ultra etiam transmitti posse. In singulis autem speculis ad minimum tres homines ad haec signa diligenter edenda esse necessarios, sponte apparet. Unus enim esse debet, qui dioptram perspectans et tabellas inspiciens signa edi iubet et e longinquo edita recipit receptaque porro edenda mandat, quem κελευστήν, *moderatorem* vel *hortatorem* appellatum esse credibile est; duorum reliquorum alter ad faces sinistras, alter ad dexteras positus esse

debebit; et quum unus quinque simul faces attollere nequeat, quod interdum opus erit, et si queat, sublatae non dignoscantur numero; sequitur, ut in munitione sive lorica ansae sive foramina parata esse debeant, in quibus faces infigantur, donec in sequenti exadversum specula idem signum sit repetitum.

Ita rem a Polybio traditam accepimus. Sed redeamus ad Ciceronis locum, supra excitatum. Ibi Cicero in monstris atque portentis, quae Catilinae nefarios conatus praedixerint, etiam visas nocturno tempore ab occidente faces ardoremque coeli recenset. Quam superstitionem sunt qui ortam esse putent ex insolito tum illis in terris lumine boreali, quod dicitur; quae res quam omni probabilitate careat, iam inde apparet, quod Cicero ab occidente faces illas ardoremque coeli visa esse indicat. Longe est probabilius, tempore bellorum civilium in usu fuisse, ut signa ederent facibus sublatis, quae signa, qui non essent conscii, pro portentis haberent. Id ipsum fortasse initio Catilinariae coniurationis a sociis et coniuratis factitatum, quum haud dubie essent, quae ab iis sciri vellent, qui ab urbe longe abessent et contra. Quod superstitiosi rustici quum vidissent, in urbem ut portentum nunciabant. Qua ex re superstitionis hoc genus ortum esse valde est verisimile.

5. Vehementer mirum mihi accidit, quod video multos esse, qui etiamnunc scripturam verbi *arcessere* in dubium vocent. *Arcio, arcieo* veteres dixisse pro eo quod est *accio, accieo,* Prisciani auctoritate satis est confirmatum ac stabilitum. Priscian. Lib. I, 8. tom. I, pag. 43. Kr. *Antiquissimi vero pro* ad *frequentissime* ar *ponebant,* arvenas, arventores, arvocatos, arfines, arvolare, arfari *dicentes, pro* advenas, adventores, advocatos, adfines, advolare, adfari. *Unde ostenditur, recte* arcesso *dici ab*

arcio verbo, quod nunc accio dicimus, quod est ex ad et cio compositum. Arger quoque dicebant pro agger. Quid hoc potest esse manifestius? *Arcio* pro *accio* dicebant veteres. Idem testatur Velius Longus, pag. 2232. ed. P. *In eo, quod est arcesso, accerso putaverunt quandam differentiam esse, ut accerso sit voco, tractum ab acciendo, arcesso, summoveo, ab arcendo tractum. Sed erraverunt. Arcesso enim pro eo quod est arceo nunquam positum est. Verum quod putant A litteram obstare significationi, errant. D enim non minus in r litteram transit, quam in c, cum dico accedo — apud antiquos in arvorso et arvorsario* cet. Cf. etiam Scaliger ad Varron. pag. 46. ubi. vv. *arferia, arcedo, arfero* cet. vindicantur. *Arfuerunt* et *arfuisse* in Senatus consulto de Bacchanalibus leguntur.

Igitur quemadmodum a *lacio lacesso*, a *facio facesso*, a *capio capesso*, ab *incio incesso*; sic ab *arcio arcesso* profectum est. Nam *incessere* etiam non ab *incedo*, ut Grammaticis videtur, sed ab antiquo *incio incieo, invoco, inclamo*, derivandum, quare *dictis aliquem incessere* in usu est, serioresque dixerunt *taciturnitatis aliquem incessere, criminis aliquem incessere* puo eo quod est *accusare*. Pravo autem usu factum esse puto, ut *incessere* invadendi notionem acceperit, quaro *iaculis, telis aliquem incessere* et similia apud optimos quosque scriptores usitatissima sunt.

Omnes vero istiusmodi vocabulorum formas, quarum perexiguus est numerus, etiam ad quartam coniugationis normam se composuisse, apparet ex perfectis et supinis eorum, veluti *lacessivi, lacessitum; facessivi, facessitum; arcessivi, arcessitum; capessivi, capessitum; incessivi,* pro quo tamen etiam *incessi* dicitur. Certissimum hoc intelligitur in verbo

arcesso, cuius infinitivus passivus *arcessiri* aliquoties invenitur. Sic apud Caesar. Bell. Gall. V, 11. *Itaque ex legionibus fabros deligit et ex continenti alios arcessiri iubet.* Sallust. Iug. 62, 3. *Metellus propere cunctos Senatorii ordinis ex hibernis arcessiri iubet;* ubi meliores codd. omnès *arcessiri*, quod miror mutare potuisse Gerlachum. Corn. Nepos vita Attici c. 21. *Agrippum generum ad se arcessiri iussit*, ubi vide interpp. E Columella IX, 8. excitat Cort. ad Sallust. l. c. *lacessiri* pro *lacessi*. Igitur vix dubium esse potest, quin *arcessiri* apud Cic. in Tusc. dissp. IV. 32. vera sit lectio:

Cui ín manu sit, quem éssè dementém velit,
Quem sápere, quem sanári, qnem in morbum íniici;
Quem cóntra amari, quem árcessiri, quem éxpeti.

Haec vulgata est letio, cui astipulatur optimus ille Cod. Regius Parisinus, nisi quod is transposita habet verba: *quem expeti, quem arcessiri.* Ex quo qui scribendum censerent *quem expeti, quem arcessier*, haud dubie iustae gradationis caussa id faciendum esse arbitrati sunt. *Amare* enim primum est et generaliorem habet notionem; tum qui amantur, *expetuntur;* expetiti autem *arcessuntur.* Quod speciosius est, quam verius. In huiusmodi enim rebus non tam diligentes sunt poetae neque esse possunt, si maxime velint; verum librarii eruditùli, qui in hoc Cic. loco gradationem istam desiderarent, transposuerunt verba ordinemque immutaverunt.

Restat, ut quaeramus, unde originem traxerint, et quid significent derivativae istae verborum formae in *essere* et *essire*. Apud priscos Latinos scriptores, veluti apud Plautum et Ennium, antiquas futuri exacti formas invenimus tales: *levasso, impetrasso, amasso, impetisso* alias, quae haud dubie ortae sunt ex legitimis eius futuri formis *levavero, impetravero, amove-*

ro, impetivero. Solenni enim atque usitato more *s* pro *r* substitui coeptum, unde *levaveso, impetiveso* procusum, quod deinde in *levâso, impetîso* contractum est, ex quo paullatim origine celata pronunciatio *levasso, impetisso* fecit. Quae forma postquam nova verbi positio haberi coepit, infinitivus etiam inde est productus *levassere, impetrassere, impetissere,* quae verba apud Plautum etiamnum futurorum vim habent et significationem, ut notissimum est. Horum pauca quaedam in serioris aetatis usum transierunt, velut *lacessere, facessere, capessere, arcessere* ibique verba desiderativa facta sunt. Quae quod ad quartam etiam coniugationem transiisse inveniuntur, nemo mirari poterit, qui consideraverit, quam usitatae ambae simul flexiones apud priscos scriptores fuerint, ut verba *parere* et *parire, audĕre* et *audire,* (unde *sodes*) *mori* et *moriri,* et innumera alia abunde docent.

Schulnachrichten.

I.

Schulkommission.

Nach erfolgter Allerhöchster Genehmigung der wichtigsten, von Einem Hochedlen und Hochweisen Rathe unserer Stadt zu einer durchgreifenden Verbesserung des Gymnasiums an die Hohe Königl. Regierung zu Budissin gemachten unterthänigsten Anträge, von denen weiter unten die Rede sein wird, und in Folge der für die Einrichtung einer Schulcasse für das Gymnasium erforderlichen Bestimmungen, ist dem Herrn Steuersecretär und D. A. R. Advokaten Karl Theodor Pescheck die Verwaltung der neubegründeten Schulcasse für das Gymnasium übertragen worden, indem er als bürgerschaftliches Mitglied

der Schulcommission in dieselbe eingetreten; und es erfolgte seine Einweisung, zu der wir uns Glück zu wünschen um so mehr die gegründetesten Ursache haben, da er sich zur unentgeldlichen Besorgung des Cassengeschäftes bereitwillig erklärt hat, in der Sitzung der Schulcommission vom 10. December 1829. Möge der Edle eine Belohnung, die ihm auf andere Weise nicht zu Theil werden konnte, in dem Bewußtsein finden, daß er für die Zwecke unseres Gymnasiums etwas Hochnöthiges und Nützliches leiste, und so zur Beförderung der höchsten Zwecke der Menschheit beitrage.

II.
Lehrer.

Von dem Director sind im Laufe des beendigten Schuljahres folgende Schriften im Drucke erschienen:

a.) De usu dactyliothecarum brevis dissertatio. Als Einladungsschrift zum öffentlichen Examen. 1829. 32 S. 4.

b.) De prisca Acie Romana. Ad locum *Livii lib.* VIII, 8. vindicandum. Adiecta est schedula lapide exscripta. 8 S. 4. Als Einladungsschrift zur Seligmannischen Gedächtnißrede.

c.) De linguae Latinae originibus. III. 8 S. 4. Als Einladungsschrift zur Winklerischen Gedächtnißrede.

d.) Plauti Captivi. Emendavit Fridericus Lindemannus. Lipsiae. Sumptibus et typis B. G. Teubneri. 1830. 75 S. Gr. 8.

e.) Regi Augustissimo *Antonio* Pio Clementi Iusto A. D. XVIII. Octobr. CIƆIƆCCCXXIX Zittaviam invisenti vota sacrata offert Gymnasium Zittaviense. 6 S. Fol. Lateinisches Gedicht, Sr. Majestät bei Allerhöchstdero Anwesenheit in Zittau im Namen des Gymnasiums überreicht.

Vom Herrn Conr. M. Lachmann erschien:

a.) Progr. XXXV. De opinionis rectae et scientiae discrimine a Platone posito. S. 8. 4. Als Einladung zur Justischen Gedächtnißrede.

Zu diesen Feierlichkeiten, welche für uns diesmal von ganz besonderer Bedeutung sind, da sie zwischen den Schluß einer alten und den Beginn einer neuen Periode für unser Gymnasium fallen und für dasselbe eine merkwürdige Epoche bilden, werden die Hochverehrten Mitglieder Eines Hochedlen und Hochweisen Rathes, die verehrten Mitglieder Eines Hochehrwürdigen geistlichen Ministeriums, die Herren Collegen an beiden Schulanstalten, so wie die Eltern und Pfleger unserer Zöglinge und Alle, welche gütigen Antheil an unserer Anstalt nehmen, ganz ergebenst eingeladen mit der Versicherung, daß ihr gütiger und zahlreicher Besuch eine freudige Ermunterung für uns sein werde. Zittau, den 24. März 1830.